



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...**

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum  
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In  
Discursus LII. Concinatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et  
Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Sade. Justus es Domine, quia os tuum ad iracundiam provocavi. Thr. 1. v.  
18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)

Thren. 2. 9. 12. nare sicut sponsa, Jerusalem, anima sedes Dei, & eris urbs perfecta decoris, & gaudium universae terrae, & anima; Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum, Amen.



## DISCURSVS XXXIX.

Sade.

Justus es Domine, quia os ejus ad iracundiam provocavi. *Thr. 1. v. 18.*

### DE ECCLESIA.

*Os Domini (Prædicatores, veritatem annuntiantes) mundus persequitur.*

**O**Mnibus quidem animalibus Deus os dedit, per quod non solum cibum, & alimentum sumere, sed etiam vocem qualem qualem edere possent, exceptis piscibus, qui muti omnino in aquarum abyssis profundantur. Homini verò non tantum os ad comedendum, & incultâ voce clamandum, sed etiam ad, voce articulatâ, loquendum dedit, quo unus alteri non tantum animi sui sensa aperire, sed etiam sanas doctrinas, & salutaria monita communicare valeret. Quod ergo est os in corpore humano, hoc sunt Prædicatores in corpore mystico Ecclesie; unde illud Jeremias: *si separaveris preciosum à sereno, id est (ait Lyranus) Animas v. 19. pretioso Christi sanguine redemptas à vilitate peccati per tuam doctrinam, vel (ut Hugo loquitur) per prædicationem, quasi os meum eris, quia in te, vel per te loquor, & secreta mea revelo, quod magnum est, ait idem Expolitor.*

*Solus homo, os habet ad loquendum*

*Os Domini, sunt prædicatores.*

Gemens igitur fatetur Jerusalem, & Synagoga afflicta, quod justo Dei judicio tam acerbis

El. Interl.

Hi per se-  
tutionem  
patuntur.

Act. 7. v.  
32.

Quia ve-  
ritas odi-  
um parit.

Legati  
gaudent  
immuni-  
tate.

bas experiatur poenas, & affli-  
ctiones, quia os eius ad iracundiam  
provocavit, scilicet, Prædicato-  
res, glossatur Interlinearis, eos.  
veritatem annuntiantes, perfe-  
quendo, imò & occidendo, uti  
imprimis ipsemet iteratò exper-  
tus est Jeremias, verberatus, in  
lacum foetidum projectus, fame  
pene enecatus, & lapidatus:  
Isaias ferrâ per medium disse-  
ctus, Zacharias inter templum,  
& altare occisus, &c. Ut ver-  
bo concludam, quem Prophetarum  
non sunt persecuti? quod os Domi-  
ni, veritatem eis annuntians  
non provocaverunt? Iusta pro-  
inde Dei vindictâ animadverfi.

Non minus autem ad eandem  
hodieque poenam tremit Eccle-  
sia, meritò divinam expave-  
scens vindictam, eò quòd vide-  
at os Domini, prædicatores, ve-  
ritatem mundo annuntiantes, à  
fidelibus, præsertim magnati-  
bus, non tantum amaro tolera-  
ri animo, sed etiam gravissimas  
(nisi à veritate dicenda desiste-  
re velint) persecutiones pati,  
quoniam implacabile veritas o-  
dium parit.

II. Magna quidem ex jure genti-  
um Legatis magnatum debetur  
reverentia, & immunitas, ipsius  
Principis personam repræsen-  
tantibus; tamen negari non po-  
test, quin majorem semper au-  
toritatem, & vim ipsa habeat  
persona Principis, singularem

sibi populi concilians venera-  
tionem. Miserat Deus ad Sy-  
nagogam varias ex Prophetis,  
legationes, mentem ac volun-  
tatem suam candidè per hos le-  
gatos ei fecerat insinuari, sed  
cum non tantum exiguum erga  
hos legatos exhibuisset respec-  
tum, sed etiam contra jus gen-  
tium, & naturale divinum ig-  
nominiosè tractasset, idcirco  
ipse se mundo sistere voluit  
Deus per proprium Filium: olim  
loquens patribus in Prophetis, novis-  
simè locutus est nobis in Filio. Saltem  
verebuntur filium meum. Sed non  
major filio, quàm præmissis le-  
gatis, habitus est honor. Nam  
licet bene omnia fecisset, &  
surdos audire, & mutos faciens  
loqui, tamen contra ipsam Filij  
personam insurgere non veriti,  
hic est hæres (inquiunt) venite oc-  
cidamus eum, nunc lapidare, nunc  
interficere eum tentantes, nunc  
crucifige contra illum incla-  
mantes, &c. Os Domini, nempe  
Verbum Patris, sive Filium (ut In-  
terlinearis & Hugo glossantur)  
ad iracundiam provocaverunt. Et  
quare hoc? popule meus, quid  
feci tibi, aut in quo contristavi  
te? nempe ob solum veritatis e-  
loquium: Nunc queritis me in-  
terficere, hominem, qui veritatem  
vobis locutus sum: Et hac solum  
ex ratione, turpissimam Filio  
Dei mortem infixit noverca  
Synagoga, quia testimonium per-  
hibuit

Legati  
Propheta.

Hebr. 1.  
v. 2.

Post hos  
ipse Filius  
venit.

Ioan. 8.  
v. 40.

Sed occi-  
dit.



hibuit veritati. Sed justus es Domine, qui veritatis sibi annuntiatae persecutorem populum extremo delevit excidio.

*Eadem crudelitas exercita in Apostolos legatos.*

Sapere oportebat mundum, damno rejectae, & extinctae horribiliter Synagogae, sed uti doctrinam Christi nihilo melior, ita Judaeorum tremendo exemplo nihilo sapientior factus est, sed assumpto in caelos Dei Filio, relictos ejusdem legatos non mitius, quam ipsum Dominum tractavit. Principalis quidem per universum orbem legatio Apostolis credita fuit, testante Paulo: *Pro Christo ergo legatione fungimur. Et ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequimini de civitate in civitatem.*

2. Corint. 5. v. 20.  
Matt. 23. v. 34.

III.

Quod haec ab obstinatis Judaeis, & perversis gentilibus, quibus Christus crucifixus vel scandalum, vel stultitia fuit, acta sint, adeo admirandum non est, sed quod etiam in ipsa Ecclesia, Christi Fideles, ita legatos, & os Dei, veritatis scilicet praecones, ad iracundiam provocent, & persequantur, & non a Paganis, aut haereticis, sed ipsi Catholicis principibus, & Monarchis, Chrysostomus ejiciatur in exilium, Thomas Cantuariensis in Ecclesia, Stanislaus trucidetur ad Aram, &c. Doctores in signes, viri eximij, Episcopi sanctitate clari,

*Idem ad huc fit in Ecclesia.*

homines, qui veritatem locuti sunt illis Monarchis, aperte nobis demonstrat, quam exosa mundo, praecipue autem magnatibus semper veritas fuerit, quam quis denuntiaturus, neque de vita securus esse potest; quare necesse foret, ad denuntiandam magnatibus veritatem Prophetas & Praedicatorum ex altero revocare mundo, qui nullam bonorum, aut vitae amplius jacturam timere possint.

Degenerem sibi filium, & regni successorem reliquerat pius, & candida mentis rex Josaphat, nempe Joram, hominem uti omni impietati, ita imprimis idololatriae deditum. *Allatae sunt autem ei literae ab Elia Propheta, in quibus severissime non tantum ob immania scelera increpatus fuerat rex, sed etiam pessima eius plaga, & interitus fuerat denuntiatus.*

*Impio Regi Joram*

2. Paral. 21. v. 12.

Gravis hic exoritur de his literis quaestio, a quo, & quando fuerint conscriptae, & unde missae? nam Helias Thesbites jam sexto ante obitum regis Josaphat anno, curru ignito in caelum fuerat raptus, haec autem literae in tertio primum, aut quarto anno regni Joram fuerunt allatae, uti etiam ex Hebraeis docet Lyranus, & Cornelius, unde rejectis alijs opinionibus hic minus solidis, hic concludit cum majori expositorum con-

*Helias e paradyso scribit.*

*Cornelius*

fen-

senſu, Eliam ex paradyſo, vel loco, in quo ipſe poſt raptum degit cum Enoch, has literas miſiſſe. Sed nunquid non Propheta tunc erat in Iſraël? nonne Helia ſucceſſerat Eliſæus, duplici magiſtri ſui ſpiritu munitus? nonne hic legatione iſta fungi, & ſive orenus, ſive per epiſtolam monere de perversa vita regem poterat? quid tanto opus diſpendio, ut literæ in paradyſo conſcribendæ, angelicâ manu deferrentur ad regem?

IV. Ad dubium hoc ſolidiùs reſolvendum, recedamus pauliſper in regû hitoriam, ad libri primi caput vigefimum octavum, ubi Saul cum Philiſtæis conſiſturus, neque per ſacerdotes, neque per Prophetas reſponſum obtinere potuit. Quare ſimulato habitu Pythoniſſam adjit, ſibiſque ſuſcitandum Samuelem rogavit. Paruit Pythoniſſa, & ecce, vir ſenex aſcendit, amictus pallio. Et intellexit Saul, quòd Samuel eſſet. Magna naſcitur hic iterum inter Expoſitores quæſtio, an hæc apparitio, mera fuerit diabolica dementatio, vel realis Samuelis præſentia: affirmat Lyranus, quòd anima Samuelis virtute divina, & eius diſpenſatione apparuit, ad annuntiandum Sauli divinam ſententiam. Cui opinioni etiam accedit Cornelius, & Sauli miſſum ex altero mundo à Deo Samue-

lem aſſerit, qui eum puniret, tum ob alia crimina, tum ob hoc magia, denuntiatione cladis ſecutura. Sed quid opus erat ab altero mundo ablegare animam Samuelis? nunquid per ſacerdotes & prophetas Sauli denunciare poterat ſcelera ipſius, & ſententiam interitus? Appoſitè ad hoc reſpondet clariffimus Alphonſus Toſtatus. Quia Sacerdotes, & Prophetæ videntes interitum Saulis appropinquare, nolunt denunciare propter timorem, Samuel verò, qui mortuus erat, non timeret, Tale enim odium magnatibus parit denuntiatione veritatis, & criminum, pœnæque remonſtratio, ut vivus quiſque horreat veritatem edicere, unde è limbo revocandus Sauli Samuel, & è Paradyſo exarandæ literæ erant ab Elia, quia vivi Prophetæ, & prædicatores horrent annuntiare veritatem magnatibus, qui os Domini, quòd veritatem loquitur, ad interneſionem uſque perſequuntur, unde hodieque gemit Eccleſia. Os Domini, Prædicatores, ad iracundiam provocaverunt, id eſt perſequendo irritaverunt, exacerbaverunt, amaricârunt, uti alia explicant interpretationes, ita ut ad hoc officium non vivos, ſed mortuos, qui de vita timere amplius non poſſint, adhibere præſtaret Prædicatores.

Refert Michaël de Palatio,

T 1 3

vi-

Quia re-  
mo vident  
veritatem dice-  
re aude-  
re.

1. Reg.  
18. v. 6.

Samuel  
Sauli in-  
teritum  
denunci-  
at.

Lyranus  
hic.

Cornelius  
hic,

V.

*Si martyrium quaeris?* virum quemdam Religiosum consequendi Martyrij zelo ductum, ad Saracenorum partes migrasse, ipsamque Sultani aulam imperterritum penetrasse, hujus temeritatem admiratus Sultanus quaesivit, quidnam temerario hoc aulae suae accessu prætenderet? cui ille: *ut mortem inveniam, tibi veritatem praedicando.* Ad qua ingeniosè aequè, ac falsè replicavit Sultanus: *Ita ad principes tuos, praedica illis veritatem, & mortem, quam apud me quaeris, apud illos cito invenies.*

*Dic veritatem principibus.*

*Cave, ne aulas tan gas, aut regimina.*

Non opus est longis itineribus, & navigationibus, non terras & maria trajicere necesse est, ad Christianorum magnatum aulas & curias accede, veritatem praedica, & mortem, aut exilium invenies. Accede aulas, sive regias, sive Ecclesiasticas, intona contra pacis Christianae turbatores, contra bellorum, & factionum incentores, contra vanos personarum acceptores, contra ambitiosas dignitatum, & Simoniacas beneficiorum procuraciones, patrimonij Petri cum luxu dilapidationes, interpella de lasciva luxuriae libertate Reges & Principes, inculpa Machiavellicam magnatum modernorum politiam, carpe praediciosa Religioni Catholicae consilia, exprobra magistratibus interessatas eorum, & bono publico

praediciosa actiones, scissiones, injustitias, pauperum oppressiones, auri famem, & alia vitia, & citò exilium, proscriptione, aut mortem ipsam invenies, nec te aut jus divinum, aut gentium juvabit, quòd te legatum Christi & pro eo te in Cathedra legatione fungi praetendas, odium enim veritatis, nec ipsis parcat legatis, nec ori Domini. Et hinc malum irremediabile in Dei Ecclesia; Et quis medebitur tui?

Pauci reperiuntur Theodosii, qui patienter detonantem audiant Ambrosium: Pauci Joannes Imperatores Constantinopolitani, de eo enim legitur, quòd cum Abbas Nicephorus ipsius concubinam splendidius ipsa imperatrice incedentem, ab ingressu templi prohiberet, haec autem ad vindictam Imperatorem incitaret, ipse Abbas sancti correctioni humiliter acquieverit. Pauci sunt, qui mansuetudine Philippi secundi magni Hispaniarum Regis, praediti sunt; cum enim magnatum aliquis contra indiscretam concionatoris fulminationem fuisset conquestus, Os (inquit Rex,) *concionatori claudite. Et quomodo?* replicavit aulicus: *Vos emendando;* respondit rex, nihil indignatus, quòd sibi, ac aulae, regimini sive sui defectus è cathedra fuerint remonstrati. Sed

*Commen- datur Theodo- sius Imp.*

*Item Jo- ann. Cos- stant. Im- per.*

*Philippus 2. Hispan. rex.*

VI Sed, uti dixi, rari tales inveniuntur Magnates, qui ita Os Dei, prædicatores, ac doctores respiciant, & veritatem ab eis sibi deprædicari sustineant, quin contra eos indignationem suam effundant. Sed quid de monarchis, regibus, & principibus dico? Vix infimæ plebis homuncionem invenies, qui in detegendis defectibus suis veritatem non excretur.

Apologus  
de veritate  
c. 211  
k.

Ferunt veritatem olim toto orbe profugam, & è magnatum palatiis ejectam, aliquando sub noctem ad casulam pauperula anùs divertisse; ab hac benignè recepta, quænam esset, & unde tandem serò venisset, interrogata, veritatem se esse respondit, omnibus, præfertim magnatibus, exosam, qui se nullo firmo consistere loco paterentur. Quid, inquit muliercula, molestiæ inferis magnatibus? nihil (respondet veritas) nisi quòd omnium acuso vitia, nihil dissimulo: & quia nemo sese repræhendi non indignè fert, hinc mihi fuga, & exilium perpetuum. Avidis auribus has contra magnates murmuraciones excepit vetula, animum jam aliàs erga eos, ob perpessas suppressiones, exacerbatum gerens, quare bene admodum consolata, post frugalem cœnulam cum veritate cubitum concessit, eo-

Quævis  
vetula  
veritatē  
odit.

dem illam excipiens lecto. Manè orta jam luce, cum ambæ è somno surgerent, vetulam veritas curiosius intuita, eam altero oculo orbatam, frontemque obductam rugis depræhendit. Hanc vultus deformitatem dissimulare veritas nequies, deformitatis illi vitia per partes enumerat. Exarsit subito, in frigido licet corpusculo, bilis, & à veritate sibi detectam candidè deformitatem indignata, eam è tigurio ejecit, centenis etiam convitiis eam persecuta, nō mirum esse asserens, quòd omnibus odiosa, nullo consistere firma loco possit, cum tam impudenter in omnium vitia debacchari consuevisset, nullâ vel ætatis, vel nobilitatis attentâ ratione. Ejectâ igitur per vetulam veritate, illud Isa. 59. dici poterat; *Corruit in platea veritas; Non potuit invenire hospitium*, addit Hugo Cardinalis in c. 4. Galat. v. 15.

Ex quo concludere, & addiscere prudens quisq; potest, non solum magnates, sed plebeios quosvis veritatem sibi loquentibus indignari, & veritatis præcones (qui sunt os Domini) exosos esse omnibus, veritatem liberè profertentes, cum tamen vel maximè sapientissimus Salomon veritatem etiam emendam suadeat.

Veri-

VII.

Prov. 23. Veritatem eme. Quomodo autem  
23.

S. August.  
Conf. lib.  
4. c. 2.  
Rhetores  
verborum  
vendito-  
res.

S. August.  
Confess.  
lib. c. 4.

P. Henr.  
Wagner-  
1885 S. 1.

veritatem emendam suadet Sa-  
piens? an veritas fortè à con-  
cionatoribus vendi potest, sicut  
eloquens loquacitas à Rhetori-  
bus, uti de se fatetur Augusti-  
nus: *Docebam in illis annis Rhetor-  
ricam, & victoriosam loquacitatem  
cupiditate vendebam, &c.* Qui aliis  
etiam in locis suarum Confes-  
sionum, Rhetoricam nundinas  
verborum, ipsos verò Profes-  
sores verborum venditores vo-  
cat. Dedignantur autem ple-  
rique verba emere, nisi compra-  
valde, & phalerata, humilia ve-  
rò, quantumvis vera dedignantur,  
uti conqueritur de Ali-  
pio suo S. Augustinus, quòd,  
nondum humilitatem Christi  
sapientis, *dedignabatur inferi lite-  
ris nostris; magis enim eas volebat  
redolere gymnastiorum cedros, quas  
jam continuit Dominus, quàm salu-  
bres herbas ecclesiasticas, adversas  
serpentibus.* Modernus quidam in-  
eruditus, ac verè spiritualibus  
Notis in confessiones S. Augu-  
stini conscriptis, hìc graviter  
notat, quòd *habet Alipius Cate-  
chumenus imitatores, viros in fide  
Christiana enervatos, quibus nihil la-  
tinum est, nisi profanum; ideoque  
abstinent vocibus Ecclesiasticis, non  
aliter, quàm solecismis, aut barba-  
rismis, quasi Christi fides, quæ om-  
nium gentium devicit errores, sacro-  
rum suorum vocabula, non possit iu-  
re suo profanis miscere linguis, aut*

*deceat superstitionis, idololatricisque  
vocibus, sacrosancta mysteria inqui-  
nare, & obscurare.* Quasi ad emen-  
dum & vendendum verba for-  
marent. Sed non sic conciona-  
tores, qui nec mercaturam ver-  
borum gerere, nec verbum Dei,  
& veritatē disseminandam ven-  
dere possunt, sicut enim expres-  
sa incurreretur Simonia, sed  
etsi venalem exponere verita-  
tem quis vellet, inanes forent  
nundinæ, nullum inventuræ  
emptorem.

Discipulis suis fidem univer-  
so mundo annuntiaturis, certas  
Christus præscribit leges: *Eun-  
tes autem predicare... infirmos cu-  
rate, moriuos suscite, leprosos  
mundate, demones ejicite; gratis ac-  
cepistis, gratis date.* Et bene notat  
Cornelius, quòd gratis Aposto-  
li dare jubeantur sanitates, ut  
excludatur occasio omnis avari-  
tiæ, & simoniæ, *ne scilicet mi-  
racula sua accepto pretio vendant.*  
Et nunquid idem de prædicatio-  
ne intelligendum voluit Chri-  
stus, ut sicut de curatione, sic  
nec de prædicatione veritatis  
pretium acciperent? negat Abu-  
lensis, *ro gratis date, etiam de  
prædicatione intelligi: illud (gra-  
tis date) maximè intelligitur de cu-  
ratione, seu sanatione infirmorum,  
non autem de prædicatione.* Et qua-  
re hoc? nunquid ergo verbo-  
rum, & veritatis venditores ef-  
se divini verbi præcones pos-  
sunt?

Math. 10.  
7.

Cornel.  
h. c.

Alphon.  
Toftaus  
hic,  
Nō man-  
dat Chri-  
stus gra-  
tis prædi-  
candum.



sunt? Non hoc ex allegatis verbis suis concludi vult Tostatus, sed innuere vult esse hanc suam perfluam cautelam, nec subesse periculum, quod cum veritate, populo annuntiandâ, nundinas erigere, & pretium aut exigere Prædicatores, aut sperare possint, Quia (ait præclarus iste Commentator) pro prædicatione

Quia a-  
lias nemo  
dat pre-  
tium di-  
centi ve-  
ritatem.

nemo daret pecunias, si gratis prædicare nollent. Pro sanitate, & curatione quivis numeratam dare pecuniam paratus, veritatem autem à prædicatoribus emere nemo curat, unde de prædicatione gratis danda, nullâ cautelâ posuit Christus, quia si gratis prædicare nollent, nemo pro prædicatione veritatis, eos pecuniis conduceret, sed tantum exilia & persecutiones, verbera, flagella, & ipsam mortem, expectare debent, quam ipse expertus est divinus illorum Magister, quia testimonium perhibuit veritati.

VIII. Satis commendare non potest doctor gentium magnum Galatarum erga se affectum, civilitatem, & benevolentiam, Galat. 4. Sicut Angelum Dei excepisti me, sicut Christum Iesum... Si fieri posset, oculos vestros eruissem, & dedissem tibi. Sed quamdiu intensa hæc duravit affectio? Donec veritatem eis prædicare cepit Paulus, tunc enim nec oculos; nec pecuniam, imò vix fru-

P. Franc. Josephi Op. IV.

stum panis illi dedissent Galatæ, nisi gratis prædicare vellet, nemo ei quicquam daret, ita omnium à se animos, prædicando veritatem Paulus averterat. Quod meritò eis exprobrat Apostolus: Ergo inimicus vobis factus sum: verum dicens vobis? Inde scilicet factus inimicus, unde magis haberi debebat amicus. Et concludit Hugo ex Terentio: Obsequium amicos, veritas odium parit.

Hug. Car-  
din. hic.

Sed parum hoc odium, & inimicitia ab Apostolicis viris curanda, sed potius attendenda tremenda illa divina per Ezechielem Dei præconibus facta comminatio: Si dicente me ad im-  
pium, morte morieris, non annuntia-  
veris ei, neque locutus fueris, ut aret-  
tatur à via sua impia, & vivat; ipse  
impium in impietate sua morietur,  
sanguinem autem ejus de manu tua  
requiram, Nempe, uti alibi mi-  
natur Deus: Erit anima tua, pro  
anima ihesus. Nec minus divini  
verbi præco, timidè tacendo,  
quàm temerariè loquendo er-  
rare graviter potest.

Non cu-  
randum  
hoc odiu.

Ezech. 3.  
18.

Reg. 20  
39.

Virum pollutum labiis se fa-  
retur Isaias, sed quæ verba im-  
pura aut inordinata effutierat,  
ut iis se pollutum agnosceret?  
Non loquendo, sed tacendo, se  
pollutum conqueritur: Va mihi,  
quia tacui, quia vir pollutus labiis ego  
sum. Sicut enim polluuntur labia lo-  
quendo, quod non decet, ita etiam ta-

Etiã  
tacendo  
polluuntur  
labia.

Isa. 6. 5.

Lyranus  
hic.

V u

cen-

cendo, quod dici debet, ait Lyran. Fuit ergo pollutum os Isaiæ nō loquacitate, sed taciturnitate, quōd ex humano respectu, licet ex sanguine regio oriundus, tamen Oziam regem, temerē incensum adolentem, non corripuisset, hæc Isaiæ timida taciturnitas calculo ignito fuerat purganda.

IX. Igitur viriliter erigenda est veritas (infert S. Bernardin. Senen, quia eius diminutio, seu defectio criminosa; nimis profecto damnosum, & criminofum est in mundo, & in qualibet civitate, insuper & in qualibet anima, defectio & diminutio veritatis. Si enim veritatem nemo audeat prædicare, aut prædicandam nemo velit audire, quid inde nisi scelerum omnium incrementum, virtutum defectio ac pietatis exterminium expectari potest? Quid in privatis domibus, quàm earum ruina, & posteritatis corruptio consequetur. Inde enim evenit, quod S. Hieronymus advertit, nempe quōd solemus mala domus nostræ scire novissimi, ac liberorum, & coniugum vitia, vicini cantantibus, ignorare; quod omnis ruina est initium. Nec minor ruina in publicis, ex veritatis vel denuntiata, vel audita defectu, Conversum est retrorsum iudicium, (ait Isaias) & iustitia longè stetit, magna utique in Republica deordinatio, defectus inexpli-

S. Bernar-  
dinus Senen  
Dom.  
21. Pent. c.  
1. a. 1.

Ex defectu  
veritatis.

Corruunt  
domus  
privata

Isa. 59.  
14.

cabilis, iudiciorum, & iustitiæ corruptela, quam non nisi gravis divina vindicta, & interitus sequi potest: Quia iustus Dominus: At unde omnia mala hæc? quia corruit in platea veritas, ita Isaias, quam vel eloqui, qui deberent, extimescunt, vel audire, quibus necesse foret, renuntiant, & os Domini ad iracundiam provocant, ac veritatem loquentes persequuntur, sic divinam in se provocantes iram, brutis animalibus, quàm hominibus rationalibus fiunt similiores.

Tales in suæ Ordinationis Episcopalis anniversario sic alloquitur S. Augustinus: Vobis itaq; dico, sive presentibus, sive absentibus, quibus inimicus efficior, verum prædicans: Nolite esse sicut equus & mulus, non habentes intellectum nam & hæc iumenta eos maxime calce, morsuque appetunt, à medicis quibus curantur, & ut curentur, eorum vulnera contrectantur. Non parcis? non parco. Adversarius? adversor. Resistis? resisto. Lucta nos comparat, sed causa separat. Tu inimicus es medico, ego morbo: tu diligentiam meam, ego pestilentiam tuam. Retribuebant (ait Psalter regius) mihi mala pro bonis. Et concludit sanctus P. Augustinus: Vos autem corrigite perversitatem vestram, agnoscite charitatem nostram. Os Domini non exacerbat, non confringite ad nume-

Benum  
publicum  
interit.

S. Augu.  
hom 24.  
inter  
Quinquaginta.

Iumenta  
medicum  
calcepe-  
runt.

Ps. 34. 14.

Thr. 3. 16.

rum

Prædicator  
res mor-  
bum, non  
agrum o-  
derunt.

vum dentes eius, sed ori Domini  
benevolas præbere aures, do-  
ctrinas amplectimini, & si qui-  
dem aliquando etiam in verbo  
indiscretè offendat, compati-  
mini, sustinete medicum, non  
ægro, sed morbo infentum, no-  
lite odisse latrantes Dñi canes,

qui medicâ suâ linguâ ulcera  
vestra lambentes, suo labore &  
sudore, obsecrando, & incre-  
pando aliud nõ intèdunt, quàm  
æternam animæ vestræ salu-  
tem, quam Deus vobis  
concedat, Amen.



DISCURSUS XXXX.

Sade,

Iustus est Dominus, quia os ejus ad iracun-  
diam provocavi. Thren. 1. 18.

DE ANIMA.

*Magna anima peccatricis insipientia, qua  
mala sibi per os Domini toties denunciata  
non præcavens, accepta demùm damna de-  
plorat, serò sapiens cum Phrygibus.*

**E**Xteriores homini sen-  
sus concessit Deus, ut  
per eos experientiam  
rerum haurire, atque  
mala & nociva devitare, utilia  
autem, & sibi proficua amplecti  
posset. Sic oculi circumspèctè  
omnia examinant, & inqui-  
runt; aures ayidè, quæ sibi ad  
profectum vel interitum faci-  
unt, excipiunt, ut ita anima ex-

ternis sensibus, quasi speculato-  
ribus & exploratoribus infor-  
mata, noverit, quæ sibi utilia &  
amplectenda, quæve nociva, &  
fugienda. At insipiens homi-  
num genus illud est, qui negle-  
cto auditûs, & visûs beneficio,  
tanquam cæci & surdiambu-  
lant, ac sic ambulando impin-  
gunt durissimè, impingendo  
verò se periculosissimè lædunt.

Sensus  
externi  
sunt quasi  
explora-  
tores.

V u 2

De

De his ex Isaia dicit aeterna Veritas: *Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis, in crassatum est enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.*

Hoc etiam malo laborabat Jerusalem, quae saevissima mala, & extremae ruinae pericula ante oculos posita non agnovit, nec ea per os Domini, (Prophetas) sibi denuntiata audire, & capere voluit, donec sero nimis, damno suo, mala haec omnia experta exclamavit: *Iustus es Domine, quia os eius ad iracundiam provocavi etc. universos terrae populi, & planctum suum invitans: Audite obsecro, universi populi, & videte dolorem meum.*

Anima peccatrix surda & caeca.

Misera haec eadem fors animam tangit peccatricem, quae ad omne periculum caeca, & ad comminatum illi per os Domini (Prædicatores) malum, surda, dum futura, & denuntiata sibi damna insipiens audire, & præcavere non vult, inflata, & accepta damna amarissime plangit, & omnes ad planctum, & dolorem lamentabiliter invitat.

II. Phryges plagis sapiunt.

Veræ sapientiae, & providentiae est imminetia præcavere mala, nam sentire praesentia etiam insipiens quisque po-

test, nisi insensibilis simul sit, & insensatus.

Hinc illud tritum de Phrygibus: *Phryx non nisi plagis emendatur, quod defectum ingenuitatis, & crassitiam stoliditatis denotat.* Nam sapiens ante, sed stultus (Platone teste,) post acceptam plagam sapit; adeoque sero nimis, & cum Phrygibus. Prudens ac providus viator, praesertim de periculosa jam admonitus via, ac foveis, cautè incedit, singulis attentè gressibus invigilans, at stultus caeco impetu currens. quid mirum si incidat in foveam, & si quidem inciderit, quidni luto inhaerens, de casu ingemiscat? Monemur identidem in sacris paginis periculoso itineri cautè attendere. *Ponite corda vestra super vias vestras.* Quod etiam probè adverterat David: *Foderunt ante faciem meam foveam; & Jeremias: Foderunt foveam animae meae.* Foveam quippe profundam superbiae todiunt hostes infernales homini peccatori, in quam & ipsi inciderunt, & ipsam ipsimet sibi foderunt, tam profundam, ut ex ea se erigere amplius non possint. Fovea quoque profunda est terrenorum concupiscentia, maximè autem carnis petulantis lascivia; *Fovea profunda os alienae, & lascivae mulieris, quae verbis dulcibus, nutibus affectuosis, oculis magneti-*

Plato in Symposio.

Viator prudens attendit via.

Aggei 5.

Pf. 6.7.

Jerem 18.

20.

Prov. 22.

14.

Fovea  
visiorum

Plinius  
secundus  
Vesuvio  
absorpti.

Vesuvio  
ignis Ve-  
neris.

neticis, canticis demulcentibus, vocibus penetrantibus multos in profundum vitiorum traxit, ac instar ignivomi Vesuvii, aut Æthæ deglutivit, eodem usi, cum Plinio secundo, infortunio, qui temporibus Vespasiani Imperatoris secreta montis Vesuvii scrutaturus, cum ignivomas montis fauces ascenderet, attractivâ caloris vi arreptus, in ipsis absorptus est montis visceribus, prius in cineres redactus, quàm secreta viscera scrutari posset.

Sic sapientissimus vult innuere Salomon, foveam profundam (instar ardentis Vesuvii) esse faminam lascivam, dum juvenes ad fauces usque, & ad extremum liciti accedunt, vi flammæ trahuntur in foveam interitus, & ruinæ animæ & corporis, in quâ & vita, & bona fortunæ, & fama, & quicquid in mundo cari habetur, absorbetur, *Cui iratus est Dominus, incidet in eam.*

Monentur seridè & in cathedris, & in confessionalibus peccatores, ut sibi de hac fovea profunda caveant, *Ponite corda vestra super vias vestras*, nolite antiquas ambulare semitas, usitatas frequentare conversationes, periculosas sequi societates, nolite currere post vestigia sodalium vestrorum, illam alteramve accedere domum & per-

sonam, fovea profunda est, si incideris in eam, si semel in profundum veneris peccatorum, vix emergendi spes erit, unâque vobiscum, & corpus & anima, & vita, & bona omnia demergentur. Sed *ô Gens absque consilio, & sine prudentia*, vel (ut Interlinearis glossatur) *atq; providentiâ*, quæ nec aurem præbet ori Domini, & nec oculis corporis, nec mentis circumspicit pericula viæ suæ, sed cæco impetu fertur in profundam foveam; tum primùm post acceptam plagam, & omnium jacturam sapere incipit, cum in miseriarum abyssum devenit, tum primùm divinæ justitiæ punientis, post acceptam plagam, vindictam agnoscit, quando ita afflictionibus est immersa, ut vel prætereuntes, ad miseriarum spectaculum invitans exclamet, *Iustus Dominus: Audite obsecro, universi populi, & videte dolorem meum.*

Parentes nostri protoplasti justitiâ originali decorati affluentiam omnium deliciarum in paradyso terrestri habebant, absoluto in omnia animalia, & & fructus terræ dominio, unicâ tantùm arbore exceptâ; *de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Mature hîc considerandum, quare hæc arbor, lignum scientiæ boni, &

III.

Gen. 2. 17  
A bor  
scientiæ  
unde di-  
ctâ?

mali fuerit à Deo vocata, & si-  
quidem talis fuit, atque scien-  
tiam boni ac mali primis paren-  
tibus tribuit ( uti expressè re-  
statatur Scriptura: *Et aperti sunt  
oculi amborum.*) quare illius usum  
eis inhibuit Deus? vel quomo-  
do intelligendum, quòd arbor  
fuerit lignum scientiæ boni &  
mali, & qualiter aperti sint ocu-  
li eorum?

*Aperti  
sunt oculi  
primorum  
parentiū.*

Lyranus  
hic.

Lyranus de oculis mentis in-  
telligendum putat: Rabbi Salo-  
mon, apertos eorum oculos  
censet, ad cognoscendum malum,  
quia prius cognoscebant bonum tan-  
tùm. Sed obstat, quòd cogno-  
scens bonum, oppositum ejus  
malum etiam cognoscit, quia  
eadem est notitia cōtrariorum.

*Quoad  
scientiam  
experi-  
mentali.*

Quare optimè resolvit Lyra-  
nus, quòd aperti sunt oculi eo-  
rum, quia prius habebant notitiam  
speculativam boni, & mali sibi oppo-  
siti, sed non habebant notitiam experi-  
mentalem suæ transgressionis &  
& punitionis, quam tunc experi-  
mentaliter cognoverunt, & ideò tunc a-  
perti sunt oculi eorum. Tunc pri-  
mum post acceptam plagam se-  
rò cum Phrygibus sapere, an-  
gustiantem conscientiam, divinam  
agnoscere justitiam, statim ju-  
stitiæ originalis deperditæ æsti-  
mare dignitatem, & damnati  
exilio paradysi suspicere deli-  
cias cœperunt, postquam nem-  
pe emisit eum Dominus Deus de pa-  
radiso voluptatis.

Septuaginta legunt: *Colloca-  
vit eum è regione, seu, in conspectu  
Paradysi.* Huic lectioni assentire  
videtur D. Chrysofostomus: *Eje-  
citque Dominus Deus Adam, & ha-  
bitare fecit eum è regione horti deli-  
ciarum.* Subditque causam: *Quòd  
contra paradysum illum habitare fa-  
ciebat, ut iugem dolorem haberet,  
quotidie cogitans, unde exciderit, &  
in quem statum se coniecerit. Et quã-  
vis gravissimi doloris spectaculum e-  
rat, & tamen magnæ utilitatis occa-  
sio, ut dolens continuo aspectu, muni-  
tior, & cautior esset in aliis, ne ne-  
rum in eadem peccata incidere, qui  
hominis, ut plurimum, mos est.*

IV.  
Adam è  
regione  
paradysi  
positus.  
S. Chryf.  
hom. 38.  
in Gen.

Cum ergo primi parentes  
nostri parum os Domini, ejus-  
que monita, & comminationes  
curassent, & tanquam gens sine  
consilio, & sine prudentia, com-  
minatam mortem, & mortali-  
tatis miserias nõ intelligerent,  
ipsa pœna & afflictio experi-  
mentalem scientiam, ipsos do-  
cere debuit, quæ ut tenacius a-  
nimis eorum inhæreret, collo-  
cati à Deo è regione paradysi  
fuerunt, quod quidem gravissi-  
mi doloris spectaculum erat, &  
amara insipientiæ medicina, ut  
ipse deliciarum deperditarum  
aspectus continuus, pœnam au-  
geret, pœna verò mentis ocu-  
los aperiret, nam, uti bene do-  
cet Divus Gregorius: *Culpa ocn-  
los claudit, pœna aperit.* Sibi ergo  
imputet, qui tale cœcitatatis re-  
medium patitur.

*Ut exul-  
ent respici-  
ens*

*magis de-  
leret &  
careret.*

Apud Hie-  
gonem,  
Gen. c. 30  
Pœna a-  
perit ocu-  
los, culpa  
claudit.

In-

Inspicientium parentum insipientes nos filii, quid nobis proficuum, quid nobis agnoscere nolumus, neque scientiam boni & mali habemus, obscuratis intellectus nostri oculis, quos neque divina vindicta, neque afflictionum, & omnium bonorum jactura comminatio valet aperire, quare demum Deus plagis nos sapientiam docere cogitur, & immixtis confusioibus, poenis, & miseriis in nos advertere, tunc primum oculi nostri aperiuntur, per poenam, quos culpa clausit, tunc e regione paradysi sedentes in valle lacymarum, gravissimo doloris spectaculo, innocentiae statum, conscientiae quietem, famam, opes, honorem, ex quo ejecti sumus, agnoscetes, scientiam experimentalem boni amissi, & mali infligi aquirimus, ut dolentes, continuo amissorum bonorum, & malorum perpessorum aspectu munitiores, & cautiores nostro damno, ac sapientiores evadamus. Nec aegre feramus tam severum capitibus nostris imponi sapientiae magistrum, qui eam plagis nos doceat, & qui nobis afflictiones, miseriae, bella, famem, penuriam, lues, grandines immittat; sed nobis impudemus, qui oculos & cerebrum ita vitis gerimus obscuratum, ut sine plagis discere negligamus.

mus. Quos enim culpa clausit, aperire oculos poena debet.

Iussus à Deo Jonas pergere in Niniven civitatem magnam, ad denuntiandum ei interitum, declinaturus Dei mandata, & Ninivitarum odium, festinavit in Joppen, ac fugitivus à facie Domini, conscensâ ibidem navi tendebat in Tharsis. Alloquitur fugitivum Prophetâ Chrysostomus: Quò fugis Prophetâ? non audisti, quod David ait: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in celum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* An fortè te manus Domini evasurum aestimas, si à continenti recedens, te mari credideris, aut trajecto mari extremam inhabitaveris Thule? Imò verò, ait David, *si sumpsero peninas meas diluculo, & habitaverò in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Sed nondum insipiens hæc capiebat Jonas, quem excæcaverat inobedientiae culpa, quare durioribus disciplinis ac poenis instruere conveniebat rudem discipulum, & experimentalem scientiam boni & mali eum inter procellarum tumultus docere.

Notat quoque Divus Chrysostomus, quòd sicut fidele mancipium, fugitivum conseruum, pretiosa quæque Domino iuratum, insequitur, nec insequendo

Bonum  
absens cog  
noscere  
incipimus

V.  
Jonæ. 1.

S. Chryf.  
homil. in  
Joan. tom

Pf. 138. 7.

Fugitivum à  
facie lo-  
nam.

*Insequitur fidele  
Dei mancipium,  
mare.*

quando desistit, donec è fuga retractū, eum rursus Dño sistat, *Sic & mare*, fidele Dei mancipium, agnitum conservum, (fugitivum Jonam) insequitur, ut que fugæ ipsius viam intercludat, furere, spumare, procellis navim impetere, tantòque impetu concutere cœpit, donec exciatus à somno Jonas, cadente in eum sorte, culpam factus, & proprii oris iudicio condemnatus, in mare præcipitatus fuit. Omnes quasi creaturas contra immorigerum Prophetam ar. naverat Deus: Mare contra illum tumens insurrexerat, venti favissimi toto commoto mari, & jactatâ per fluctus navis, minabantur interitum, navis tantum, ipsius causâ, periculum, & bonorum jacturam passi, exacerbati ipsum in mare præcipitem dabant, cetus horrendæ & inultatæ magnitudinis, tanquam divinæ justitiæ satelles fugitivum servum apprehendit conjiciendum in vincula, cumque reo, in quem detruderetur, carcer deesset, reclusit obscurum ventris recessum cetus, immorigeri servi futurum carcerem, in quo tamdiu ipsum detinuit, donec de captivo sententiam enuntiârît divina justitia.

*Satelles  
Dei cetus  
in carcerat.*

*V.  
Sic plagis  
eruditur  
Jonas.*

Dura sapientiæ rudimenta sustinuit Jonas, quæ vel rudissimo cerebro imprimere debe-

bant scientiæ boni, & mali principia. Itaque plagis demum eruditior, ac sapientior redditus: *Oravit ad Dominum Deum suum de ventre piscis.* Et cui culpa oculos clausit, pœna aperuit. Jonas perversi, & à Deo fugitivi typus est peccatoris, obstinatè faciei Dei sui terga vertentis, ejusque mandata ac minas superbè contemnentis, qui insipientiâ & culpâ excæcatus vindicantis justitiæ manus evadere conatur. Sed quò ibis à spiritu ejus, insipiens homo, & quò à facie ejus fugies? An nescis longas magis Deo, quàm Regibus esse manus? an nescis, quòd contra iniquos omnem armat creaturam? & cœlum & terra, & venti & maria faciunt verbum ejus, ad insequendum, & fugitivum apprehendendū peccatorem, ac tamdiu plagis exagitantum, donec plagis emendatus, ad Deum suū revertatur, eumq; cum Jona pœnitens deprecetur, qui propriissimè fugitivi peccatoris typum gessit. Aptè ad propositum D. Hieronymus: *Potest fuga Prophetæ, & ad hominis referri in cõmuni personam, qui Dei præcepta contemnens, recessit à facie eius, & se mundo tradidit; ubi postea malorum tempestate, & totius mundi contra se sevientem naufragio compulsus est sentire Deum, & reverti ad eum, quem sugerat.* Ab omnibus hisce tempestatibus,

*Jonas 1. 2.*

*Jonas peccatoris typus.*

*S. Hieron. in Jonam hic.*



Percussus  
Deum sentit.

bus, afflictionibus & ruinis liber esse poterat peccator, si Deo suo adhærens, ipsius parisset mandatis, sed quoniam cum Jona os Domini ad iracundiam provocavit, & fugitivus à facie Domini, Creatori suo terga vertit, tam sævis plagis fugitivum mancipium conservæ insequuntur creaturæ, donec Deum sentiens in flagellis peccator, ad eum revertatur, quem fugerat; agnosceas, & confitens: *Iustus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi.* Sic insipienti peccatori, cui culpa oculos clausit, pœna aperit: *Audite, obsecro universi populi, & videte dolorem meum.*

VII.

Est quidem insipiens hoc hominum genus, qui non nisi plagis edocti sapientes evadunt, sed adhuc insipientiores, qui neq; plagis eruditi, Deum sentire, & ad eum reverti sustinent. Tumidus victoriis, & malis in gentem Judaicam exercitatis, Antiochus Epiphanes, non modo à Deo Creatore suo aversus, eum sentire nolebat, sed etiam eò insanie devenerat, ut etiam seipsum Deum sentire vellet. Non fuerat unquam os Domini tanæ efficacæ, ut à malo rex scelestissimus avertetur, quare ori Domini succedere manus debuit, quæ percussit eum insanabili, & invisibili plagâ: sed nondum Deum sentiens, P. Franc. Iosephi Op. IV.

2. Mach.  
9. v. 5.

aut humiliatus, quin imò superbiâ repletus, & ignem spirans in Judæos, dum accelerando negotio agitari currum jussit, impetu ex eo delapsus graviter adeò membra collisit, ut qui fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere sibi videbatur, humiliatus in terram, gestatorio portaretur, scaturientibus de corpore vermibus, ac tabescens tibus carnibus, ob foetorem totius exercitui suo intolerabilis.

Plagis  
Deum  
sentire  
videbatur.

Videbatur his plagis exercitatus Antiochus Dei potentis manum, suamque fragilitatem sentire. Hinc igitur cepit ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire, divinâ admonitus plagâ; profitens: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Tum enim orare ad Dominum, vota emittere de ornando muneribus templo, de vasis aureis, argenteisque conficiendis, & subministrandis sacrificia sumptibus, de assumenda Judæorum fide, & potestate Dei ubique terrarum prædicanda. Sed parum hæc illi vota, ac oratio profuerunt. Orabat scelestus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Quantum ad remissionem culpæ, nec pœna, glossatur Lyranus.

Emisit  
vota, &  
Oravit.  
Lyranus  
v. 13.

Sed si peccator quantumvis enormis à Deo non repellitur, quin remissionem culpæ, & etiam

VIII.

X x



etiam pœnæ (si sufficienter fuerit contritus) obtineat, uti per

Isaiam promittitur: *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, velut vermiculus, velut lanæ alba erunt.* Cur ergo solus repulsus Antiochus? nunquid ab illo superata, & defatigata fuerat divina misericordia, qui tam insigniter pœnituit? Si enim ad verè pœnitentem sui requiras agnitionem? de ipso testatur scriptura sacra, quòd cœpit ad sui agnitionem venire. Si humiliationem desideres? Iterum legitur, quòd fuerit humiliatus ad terram. Si dolorem de commissis? Audi clamantem: *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem.* Si emendandi propositum? Attende insignia vota, & proposita ab ipso emissa, si deprecationem, & orationem? Nunquid orabat Dominum? à quo tamen non erat misericordiam consecuturus. Et quare hoc?

Lyranus  
hic  
Illudens  
Deo, illus.  
sus.

Respondet Lyranus, *Quòd eius pœnitentia non fuit vera, quia non fuit propter offensam Dei, sed tantum propter evasionem corporalis flagelli.* Quod etiam confirmat Cornelius, addens; *Illudere ergo voluit impius Deo, sed ab eo illusus fuit: non enim intendebat illa præstare, quæ hic dicit, & promittit.* Adeoque plagis nec emendatior, nec sapientior, sed tantum cautior, & simulatior fuerat

factus, sicut etiam Pharaon Ægyptius.

Et hoc hodieque frequenter contingit in peccatoribus, qui percussi à Deo, & angustiati à conscientia, somnum recessisse conqueruntur ab oculis, & quasi corruunt corde præ sollicitudine. Tunc ex vermibus conscientie corrosione forti, atque ex malæ famæ fœtore omnibus exosi, exclamant cum Antiocho: *Heu in quantum tribulationem deveni? In quos fluctus tristitiæ? Ad sui agnitionem deductus: Nunc (ait) reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, in Ecclesia Dei. Iucundus eram, dilectus in potestate mea.* In quantum tribulationem, & vilipensionem modo deveni? O si mala hæc mihi eventura prævidissem, quam

cautius incessissem. Hinc tales concipiunt proposita cautius <sup>Proposita</sup> posthac se gerendi, emittunt <sup>si mala</sup> vota hoc vel illud præstandi, aut peregrinationis ad sacra loca cum anathematibus instituendæ, orantque ad Dominum, sed non misericordiam cōsecuturi, nec quoad remissionem culpæ, nec pœnæ, quia non dolent, & proponunt propter offensam Dei, sed tantum propter evasionem corporalis flagelli, neque intendunt præstare, quæ dicunt, & promittunt, sed illudere tantum volunt Deo, sed ab ipso illudendis, vel in hoc ipso insipientissimi, quòd

quod neque plagis verè emendentur, damnòque suo prudentiores fiant; nec pœna oculos aperiatur, quos culpa clausit. Licet enim serò, & post plagas cum Phrygibus sapere, exiguæ sapientiæ nota sit, attamen melius est serò, quàm nunquam.

IX.  
Sapiens non expectat plagas.

Verè providus, & sapiens autem maturè oculos, & corda sua super vias ponit, antequam in foveam cadat; aperit oculos, antequam è paradyso ejectus, experimentalem mali scientiam habeat; fugitivus à facie Domini, revertitur, antequam violentâ satellitum Dei, armata scilicet creaturarum manu, & persecutiõne retrahatur; Et ori Domini, salubres sibi doctrinas dictanti, & mala sibi eventura prædicenti placidas, & benignas aures præbet, antequam in tales devoluatur miseriarum profunditates, ubi omnibus

gravissimi doloris fiat spectaculum. Audite universi populi, & videte dolorem meum.

Itaque audi consilium & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis; Audi consilium Prædicatorum, & Confessariorum, suscipe disciplinam superiorum, & præcave mala imminetia prudenter, ne mala accepta lugeas insipienter; recogita bona quæ peccando omittis, mala quæ incurris, præmium, quod perdis, pœnam, quam contrahis; animi tranquillitatem, quam deseris, conscientia inquietudinẽ, qua jactaris: ante plagam sapias, & ut sapias, os Domini, & consilium audi, disciplinam suscipe, ut sis sapiens in novissimis tuis, & intrare cum prudentibus virginibus possis in gaudium Domini tui, Amen.

